



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Dominica Passionis. Vexilia Regis Prodevnt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

DOMINICA PASSIONIS.

Vexilla Regis prodeunt.

SI qui horum Regis nostri vexillorum, quæ modò apertius prodeunt, expressi colores pingi aut fingi animo possunt, Candor, & Rubor dicendi sunt, juxta illud Canticoꝝ, *Dilectus meus candidus & rubicundus*. Id est, simul est Innocens & Patiens. *Talis enim nobis decebat*, inquit Apostolus, *ut esset Pontifex sanctus, immaculatus, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cælis factus*. Neque nos aliter sua redemit passione, quam quia passus est Innocens seu innocenter, citra omnem culpam. Neque nobis aliter in Exemplar ad imitandum proponitur, quàm ut innocenter Patiens, & patienter Innocens; ut nos ita discamus pati.

Quamobrem hodie simul ac de illius Passione memoria celebrior excitatur, de illius etiam innocentia singularis habetur mentio, verbâque ipsa quibus olim ipse Dominus suâ apud Judæos vitæ probabat integritatem, nobis exhibentur: *Quis ex vobis arguet me de peccato*. Quasi nobis aperta voce diceretur, non est satis Christiano pati, nisi patiatur innocens & innocenter: sicut nec illi sufficit esse innocentem, nisi libenter pro Christo patriatur, & pro sua etiam facta recta conservanda vitæ innocentia. Quod saluberrimum documentum, ut altius animis nostris infigatur, sic visa est ante alias, hæc Practica Veritas proponenda:

Nemo cum Christo candidus, nisi sit simul rubicundus.

Nemo effectus candidus, nisi sit affectu rubicundus.

Nemo actu satis purus, nisi actum puritatis suo sit paratus tueri sanguine, contra quodvis peccatum.

RATIO EST, Quia nemo est actu satis purus, nisi dum, actu resistendum est occurrenti cuius

peccato sic resistat, aut sic resistere sit paratus, quantum quidem cum Gratia potest & debet. Sed nemo est sic paratus quantum potest & debet, nisi sit paratus ad effundendum propterea sanguinem, si sit opus.

Ergo nec actu est satis purus, nisi actum puritatis suo sit paratus tueri sanguine contra quodvis peccatum, quod idem est ac, Nemo cum Christo candidus nisi sit simul rubicundus.

I. P U N C T U M.

DE singulari vitæ innocentia, quam dicunt Impeccabilitatem, & quam omnes ita de Christo prædicant ut nullo profus modo peccare potuerit, fusus dici possit; Nec omittendum quantis vel a dversariorum omnium testimonio comprobetur.

En proditor Judas palàm se peccasse confitetur tradens sanguinem justum. En omnes subornati testes convincuntur falsi testimonii. Judex nullam in eo profus invenit mortis causam. Centurio & qui cum illo erant crucifigentes eum, revertuntur percutientes pectora sua, & dicentes: Verè hic homo justus erat. Quid certius ad Innocentiam, quàm cū inimici sunt judices? Sic singulariter justus & sanctus sanctorum à Prophetis dicebatur Christus, *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus, & justus noster*, id est, qualem poteramus expetere, ut esset nostra Redemptio, nostrumque Exemplar sanctitatis conservanda. Quod ut propius imitemur, sic oportet cū illo esse candidos, ut simul etiam eum illo simus rubicundi, neque enim aliter Candor sine rubore servari potest; Nemo aliter candidus, id est, amans puritatis probari potest, nisi sit rubicundus; id est, nisi sit paratus ad effundendum potius sanguinem, quam sui candorem animi vel minima peccati labe coinquinari sinat.

Quod

Quod quia plurimum facit ad verius exprimendam in nobis Dominicæ Passionis Imaginem, idcirco paulo attentius in ea Veritate pendenda nos immorari convenit. Sic itaque declaratur: Nemo verè dici potest candidus, nisi qui verè amat eam puritatem, quæ omni peccato repugnat: nemo verè dici potest hanc verè amare puritatem, nisi sit paratus illam tueri & peccato resistere, quantum quidem cum gratia potest & debet, nam talis amor puritatis est voluntas firma, constans, & efficax non peccandi, aut nisi talis sit voluntas, non est talis amor puritatis, qualis hic intelligitur. Quid est verò efficacem habere voluntatem non peccandi, nisi sic esse paratum peccato resistere, ut nihil eorū pro-

mois potius subeat quam peccetur.

Atque hic est literalis & germanus sentus verborum Domini: *Qui non accipit crucem suam Mat. 10. & sequitur me, non est me dignus: qui amat animam suam, perdet eam: & similibus Christi dictorum, quæ sic explicat sanctus Augustinus: cum ergo causa articulus venerit, ut hac conditio Tr. 51. in preponatur, aut faciendum esse contra Dei preceptum, aut de hac vita emigrandum, quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore: ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere: Ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam. Itane odisti? itane odiendo custodis animam? felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.*

III. PUNCTUM.

NEMO igitur potest esse cum Christo candidus, nisi sit simul rubicundus, Quo sensu dictum est, neminem posse verè dici amare puritatem illā, quæ omni peccato repugnet, nisi sit ita paratus contra omne pugnare peccatum, ut nec sanguini parcat nec vitæ; quia hoc est solum verè velle, si, quod debes, facias; hoc autem tam verè debes, quam verè Deum debes diligere super omnia, & ex toto corde tuo. *Qui diligit Dominum odite malum. Ps. 94. PRO iustitia agonizare pro anima tua: & usque Ecclesi. 4. ad mortem certa pro iustitia. MELIVS est enim mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. Sic cum casta Susanna dicendum esset in quacunque peccandi occasione. Quam verò pauci tales! Sat quidem multi mortem, quæ procul abest, videntur non timere, qui tamen aliquod malum sensibile sic reformidant, ut peccare malint quam se illis pœnis exponere! Nec dicant, quod si de fide ageretur non sibi parcerent; nam ubi de peccato vitando agitur, perinde quodammodo censeretur quantum ad fugam peccati, sicut si de fide res esset. Nam & revera de fide est, subeunda potius quævis esse damna quam peccato consentiendum: & cum propterea paratus ad mortem animus ab unoquoque petitur, petitur simul paratus ad alia quævis, quæ sunt morte leviora. Quam in rem revocanda huc Veritas quæ in 1. parte, ubi de sanctis Martyribus, proponitur.*

V

Sicut

II. PUNCTUM.

SED nisi quis sit paratus peccato resistere usque ad sanguinem, non est paratus ei resistere quantum potest, & quantum debet. Sic aperit Apostolus, *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes: nondum enim usque ad sanguinem resististis, adversus peccatum repugnantes: quasi id manifestè diceret, nondum fecistis, quod debetis facere contra peccatum, nisi usque ad sanguinis effusionem, & ad ipsam usque mortem contra pugnetis. Hoc enim debetis facere pro Christo & pro animabus vestris, quod ipse Christus propterea fecit, nō quod mortem adire debeatis, sed si mortis subeunda vel peccandi occasio se obtulerit:.*

Sicut ne pereat fides, perdenda est Martyrio
vita naturalis: sic ne pereat fidelitas, per-
denda est mortificatione vita sensualis.

A Cruce autem velut vexillo militari, mi-
rum quantum excitari possis ad pugnandum
contra repugnantes quosque naturæ corrup-
tæ motus. Sic enim Fides, Ratio, & ipse Sen-
sus simul copurrunt, unde triplex illo fuzi-
culus efficitur, qui difficile rumpitur. Fides qui-
dem in Christo passo ad exemplar nostrum;
Ratio autem, quod cū Rex noster sit, qui nos
præcedit in pugna, planè congruum est, ut
eum propèsequamur; Sensus denique, cū
ipsa crux, & qui in ea pendet Christus, oculis
ubique objiciatur, ut verè possimus esse aspi-
cientes in authorem fidei & consummatorem Ie-
sum: quem & possimus audire dicentem no-
bis, quod Gedeon suis: *Quod me facere vidiri-
tis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, &*
2. Reg. 15. quod fecero scētamini. Tu verò illi respondebis,
quod Ethai ad Regem David, Vivit Dominus,
& vivit Dominus meus Rex. quoniam in quo-
L. 3. o. 56. cunque loco fueris, Domine mi Rex, sive in mor-
te, sive in vita, ibi erit servus tuus. Adde &
quod Gerson. En Rex noster ingreditur ante nos,
qui pugnabit pro nobis, sequamur viriliter, ne-
mo metuat terrores, simus parati mori fortiter in
bello, nec inferamus crimen gloria nostra, ut fu-
giamus à cruce.

Videnda etiam esset hæc Veritas:

Expedit nullo die velle vivere, quam non
omni die velle cum Christo mori.
In 3. parte, Feria 5. hebdomada 2.

ALIÆ porò Veritates, quæ ab Evangelio
peti possint, hæ sunt, cohærenter ad præci-
puas Evangelicæ narrationis partes.

QUIS ex vobis arguet me de peccato?

Nulla, nisi primaria, satis esse potest cura de
peccatis evitandis.

In 4. parte, Dominica 18.

SI Veritatem dico vobis, quare non creditis
mibi?

Si quid nos revocat à doctrina Christi, vel ob
id maximè recipienda est.

In 1. parte, Feria 6. hebdomada 2. post Epi-
phaniam,

QUI ex Deo est, verba Dei audit.

Non est prius intelligendum ut credas, sed
primò credendum est, ut post intelligas.
In hac 2. parte, Feria 2. hebdomada 4. post
Pascha.

PROPTEREA vos non auditis, quia ex Deo
non estis.

Qui non audit, non audietur.

In 3. parte, Dominica undecima.

EGO demonium non habeo, sed honorifico pa-
trem meum.

Quò quis est mitior, eò & generosior.

In hac 2. parte, Feria 3. hebdomada 2. Qua-
dragesima, ubi passim de contemptu sui, ac iniu-
riis sufferendis.

ET vos inhonorastis me.

Si cum nostris vitiis nostræ virtutes compa-
rentur, plus nostris vitiis in honoratur Do-
minus, quam nostris virtutibus honoretur.
In 4. parte, Sabbato hebdomada 19.

EGO non quero gloriam meam; Est qui quarat
& iudicet.

Hic erit verè maximus, qui verè est minimus.
In hac 2. parte, Die 2. Aprilis. Et passim de
Humilitate.

SI quis sermonem meum servaverit, usque ad
mortem scilicet, mortem non videbit in
æternum.

Cæteræ pugnant Virtutes, sola vincit Perse-
verantia.

In hac 2. parte, Feria 5. hebdomada 3. Qua-
dragesima.

SI ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.

Licet obrineres quod ambis, non esset con-
tendendum: At verò licet contendas, non
obtinēbis.

In hac 2. parte, Sabbato Septuagesima, ubi de
contentione ad gloriam agitur.

Hæc

HAC HEBDOMADE, quæ dicitur Passionis, quidquid à prætorio Pilati, usque ad Crucifixionem in Calvaria monte, & ipsam crucis erectionem, gestum est, ita consideratur; ut in unaquaque consideratione aliquod fulgeat Crucis mysterium, id est, ex ipsa re nota & manifesta, quæ geritur, alia quædam latens gerenda eruatur, & inde ad praxim Veritates formentur.

FERIA SECUNDA.

CHRISTUS OBLATAM A JUDÆIS Crucem accipit.

Iesum tradidit voluntati eorum. Luc. 23.

VERITAS PRACTICA.

Non quæsitæ Cruces, sunt magis exquisitæ.

RATIO EST, quia cruces, quæ purius mortificant & alios crucis ferenda fines melius inducunt, sunt magis exquisitæ.

Sed non quæsitæ cruces, crucis ferenda fines melius inducunt.

Ergo sunt cruces magis exquisitæ: Ex qua conclusione nonnulla alia Veritates Practicæ deducuntur.

I. PUNCTUM.

Cum supplicium crucis non nisi Latronibus & Homicidis ex lege Judæorum decerneretur, quid est, quod Christo crucem parant, qui horum neutro crimine ab eis unquam fuit accusatus? Vix alia reddi causa potest, nisi quia hoc supplicii genus erat crudele, ignominiosum & lentum, sicque sperabant infensæ ejus hostes, illum facilius posse proponere populo deridendum, cum maxime duo alii latrones simul essent crucifigendi: *Morte turpissima, inquebant, condemnemus eum.* En ergo Dominus Iesus voluntati eorum traditus, non modo mortem non recusat, sed nec ipsum mortis genus, nec quantumlibet gravem & ponderosam Crucem, quam ejus imponunt humeris ad locum usque supplicii bajulandam.

Hic hodie consistamus, & primum crucis mysterium evoluamus, quò erudimur ex multis crucibus, quæ nobis in hac vita sunt ferendæ, eas esse demum meliores, quæ Cruci Christo impositæ sunt similiore, seu quæ minus à nobis eliguntur. Hoc imprimis documentum est utile & pernecessarium iis omnibus, qui se mortificationi dedunt; Facile quidem ferent, quas sibi eligunt & imponunt cruces, sed quæ aliunde occurrunt ferendæ, sive ab officio, sive à Superioribus, seu altercunque à Deo missis, minus libenter acceptant. Quamobrem, hæc attentè Veritas expendenda: *Non quæsitæ Cruces sunt magis exquisitæ: Id est, Sap. 2. 1* sunt aliis præstantiores, sunt magis æstimandæ & libentius acceptandæ.

Cur enim acceptandæ cruces? Quis eorum finis & quod tandem bonum? Certe quæcunque illud sit, per quas cruces illud bonum melius inducetur, meliores dicendæ sunt præ aliis omnibus, & magis exquisitæ cruces. Nā hæc est bonitas instrumenti, & excellentia cujuslibet mediæ ad aliquem finem, ut illum suum finem inducat; Unde quò efficacius illum inducet, eò erit excellentius medium & aptius instrumentum: ac proinde cum crucis ferendæ sit aliquis finis, sitque ipsa mortificationis quoddam instrumentum & medium ad perfectionem potius quam sit perfectio: manifestè profectò patet, quod, quæ cruces quæve mortificationes finem hunc generalem aut particularem melius inducent, sint cæteris;

Rom. 8.

cæteris præferenda; Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. O quanti fructus in illa vita! ô quam pretiosæ cruces, unde illi fructus colligentur!

II. PUNCTUM.

SED Crucis ferenda finem melius inducunt non quæsitæ Cruces.

Primò quidem cum per Crucem intelligatur quævis afflictio carnis aut spiritus, cumque hic universalis sit afflictionum finis, ut carnem & spiritum hominis subdant Deo: nunquam hæc subjectio sit purius quam per cruces non quæsitæ, dummodo liberè acceptentur; quia libera illa crucis & afflictionis acceptatio, quæ ex necessitate fit, est purior & Deo gravior, quam quæ ex mera nostra libertate & electione, quæ involuit semper aliquid naturale & proprium, quod est inquinamentum spiritus, à quo nos Apostolus monet esse mundandos ut perficiamus sanctificationem in timore Dei.

2. Cor. 7.

Deinde verò, si voluntas Dei pro fine spectari debet, ut certè debet: aut si voluntas illa divina requirit à nobis aliquid certi per Cruces & mortificationes nostras, ut profectò requirit, nonne per Cruces non quæsitæ, certiores esse possumus de omni voluntate Dei, quam per nostras quæsitæ & à nobis solum electas? Quis quæsitæ hæc de manibus vestris?

Isa. 1.

hoc ipse Deus à nobis de nostris operibus quærit. An verò æquè certò illi respondere posses, quod, quidquid ex teipso facis, idcirco facias quia vult, quam quando ex regula tua facis, vel ex obedientia, vel ex necessitate patiendo, quæ est index & interpret Divinæ voluntatis? Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, Nunquid tale est ieiunium quod elegi?

Ibid. 5.

Denique, si ad satisfactionem pro peccatis, si ad augmentum Gratiæ & Gloriæ, Cruces sunt institutæ, quis dubitet non quæsitæ cruces ad illos magis præstare fines, quam quæsitæ: cum nemo ignoret jejuniium aut aliquod simile bonum opus ex obedientia susceptum, amplioris esse meriti, quam aliud purè liberum & voluntarium? Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Volebat certè holocausta, sed magis obedientiam.

1. Reg. 15.

holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Volebat certè holocausta, sed magis obedientiam.

III. PUNCTUM.

NON quæsitæ Cruces sunt igitur magis exquisitæ; Quia finem crucis ferendæ certius & excellentius inducunt, quam quæsitæ; Atque hoc unum est, quod crucem unam exquisitam & excellentem præ alia facit, si excellentius finem suum inducat possitque verius quivis dici, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.

1. Pet. 3.

Hinc porro plures ad praxim deducuntur Veritates, quæ quidem eodem spectant omnes, ut pluris faciamus non quæsitæ illas Cruces quam quæsitæ; sed id variis exponunt modis, ut illa varietate permoti, quod quæritur facilius persuasum habeamus:

Qui quærit Crucem, nec oblatam accipit, non quærit veram Crucem.

Quia videlicet, vera Crux illa est qua offeritur.

Qui quærendo Crucem, se invenit: se inveniendo, perdit quod quærit.

Id est, qui profiteretur studium mortificandi sui, nec tamen Cruces & mortificationes aliunde impositas & immixtas tam libenter capit quam quæsitæ, seipsum in sua Cruce quærit & invenit, sicque se inveniendo, perdit quod quærebat, nempe fructum & finem mortificandi sui: nam se quætere & invenire tam oppositum est verè mortificationi, quam huius proprium est, nunquam se quætere. Unde illud aliud sequitur, quod est profusius pudendum & exprobandum:

Qui se in sua Cruce quærit, prævaricatorem se constituit.

Id est, simul ædificat quod destruit. Quærendo enim crucem, perversum sui amorem destruit, at se in sua Cruce quærendo, hunc ipsum sui amorem ædificat, quod est prævaricari, dicente Apostolo: si quæ destruxi, iterum Gal. 2. ædifico, prævaricatorem me constituo.

Postremò, fixum tantumque illud maneat, quod, quæ minus voluntariæ hæctenus & minus nostræ fuerant Cruces seu mortificationes, magis deinceps voluntariæ sint oportet & nostræ; quia cum sint magis conformes Divinæ voluntati & magis exquisitæ, nihil nobis debet esse tam voluntarium tamque nostrum.

Tract. de
uno Pat.

nostrum, quam quod ita divinura est. Orig. ligenda res homini, qua Deo carna est. Bonum
& magnitudo patientia, siue Crucis ferendæ, quod amat Majestas Divina commendat.
Deo auctore procedit, inquit S. Cyprianus. Di-

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, Quæretis me, & non invenietis. Ioan. 7.

VERITAS PRACTICA.

Verbum Dei non redit vacuum, aut proficit
necesse est recipienti, vel obstit.

In 3. parte, Feria 2. hebdomada 8.

Qui divinam expellunt Sacramentorum gra-
tiam, non minus fortè peccant, quam qui
olim manna repulerunt

In 3. parte, Sabbato hebdomada 13. Et univer-
sum de neglectis Gratiis, pene tota est hebdomada
27. quarta partis.

Si quis sitit, veniat ad me & bibat.

Qui vel uni Creaturæ nimis adhæret, duo
mala facit, de quibus ipse Creator: Me
dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & fode-
runt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ
continere non valent aquas.

In 4. parte, Sabbato hebdomada 18. Vbi
Evangelium exponitur.

FERIA TERTIA

CHRISTVS IMPOSITAM TOLLIT

Crucem: & depositam finit Simoni post
se tollendam.

Et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvaria locum. Ioan. 19.

Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, & imposuerunt illi
Crucem portare post Iesum. Luc. 23.

VERITAS PRACTICA.

Qui sibi suas, solus, aprat Cruces, vix un-
quam aptas efficiet.

RATIO est, quia nulli apta Cruces dici possunt,
nisi que sunt inter extrema temperata.

Sed qui sibi suas aptat Cruces, si solus aptat, vix
erunt temperata.

Ergo vix unquam aptas efficiet; Ac proinde in
illis voluntariis poenitentis & mortificationi-
bus, alieno potius quam suo quisque fidat con-
silio.

I. PUNCTUM.

ADMIRABILE profus est, Christum Do-
minum neque sibi imposuisse Crucem,
Hæreticus pars 2.

neque deposuisse; sed impositam à Judæis
sustinuit & bajulavit, quantum quidem per
vires naturales potuit; Quando verò ultra
nil potuit, tum deficienti suffectus est Simon
ille Cyrenæus, quem anguriaverunt Judæi, ut
tolleret Crucem eius.

Postquam itaque non nihil affectui & pi-
etati dederis, considerando deplorandum il-
lum statum, quo Christus Dominus à Pilati
prætorio per universam urbem alligatus suæ
Cruci, tractus est & immanissimè tractatus
ab omnibus; Admirare Divinum illud con-
siliium, quo sic imponi & deponi suam cru-
cem Christus permisit, ut documentum hæc
spirituale, & practicam Veritatem tantopo-
re necessariam suo exemplo stabiliret, Ne solis
nobis nostras imponeremus Cruces, sed quid-
quid

X

quid spectat ad illam, quæ vocatur externa mortificatio sensuum, alieno potius quam nostro temperaretur arbitrio. Nam qui solus sibi suas aptat Cruces, vix unquam aptas efficiet.

Ratio, quæ affertur, est aperta, quod scilicet illæ solæ sint aptæ Cruces, quæ sunt in medio positæ, quæ sunt inter extrema temperatæ, quæ neque excedunt, neque deficient, in quibus neque plus, neque minus quam expediat, quantum quidem temperari possunt, juxta hæc Scripturæ monita: *Prov. 4. Ne declines ad dextram neque ad sinistram. Eccl. 7. NOLI esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne forte obstupescaas.* Et postquam Apostolus obsecravit ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, statim adjungit, *Rationabile obsequium vestrum, ut probetis, quæ sit voluntas Dei.* Dico enim per gratiam, quæ data est mihi omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. *1. 1. NEC plus vel minus, inquit sanctus Hieronymus, sed omnia temperata: Et si à recta via paululum declinaveris, non interest utrum ad dextram vadas, an ad sinistram: cum verum iter amiseris.* Denique refert Cassianus communem antiquorum delicti Patrum fuisse sententiam, nimietates ex utraque parte sentientes, aequaliter improbandas. Audere sine te his opponere; atque aliud à communi sensu sentire?

II. PUNCTUM.

SED cum quis solus sibi suas aptat Cruces, vix erunt temperata: Vix se is continebit, quin aut in excessum aut in defectum sese proiciat. Cum enim ex una parte, mortificatio sit instrumentum aptissimum perfectionis acquirenda; ex alia verò, sit exercitium naturæ corruptæ valde odiosum & onerosum; quicumque suæ perfectionis cupidissimus est, cupiditate sua sæpe rapitur ultra quam debeat; & quod in sanctis & perfectis viris legitur factum, sibi, ni caveat, faciendum crederet. *Quidam incauti, ait Kempensis, propter devotionis gratiam se ipsos destruxerunt, quia plus agere voluerunt quam potuerunt, non pensantes suæ puritatis mensuram, sed magis cordis affectum sequentes quam rationis iudicium.*

Qui verò non ita fervent, aut qui etiam

de suo profectu parum solliciti sunt, quorum numerus est amplior, in defectum cadent, & vix audebunt aliquid, ne videlicet, ut sibi fingunt, majora bona impediunt, illud etiam in ore frequentissimum habentes, non esse sitam in mortificatione perfectionem, liberum unicuique esse, ut assumat quid velit, sibi non videri aliud imponendum, satis aliunde laborare. O probrum, & ignaviarum. *Egredimini & videre filie Sion Regem Sacerdotem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. VOBIS dicimus, filia Sion, apte sanctus Bernardus, anima secularis, debiles, delicatae, filia non filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi, egredimini filie Sion, egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis, de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ.*

III. PUNCTUM.

QUI sibi ergo solus suas aptat Cruces, vix unquam aptas efficiet, si sibi solus aptat, quia vix unquam sic se temperabit, quin excedat aut deficiat: Et tamen illæ solæ sunt aptæ Cruces, quæ sunt inter excessum & defectum temperatæ. Noli esse nimius ne forte offendas. *NE dicas, quid est mihi opus & quæ erunt mihi ex hoc bona? ne dicas: sufficiens mihi sum, & quid ex hoc pessimabor? Quæ cum sint tam expresse in Scripturis, audeat Divus Bernardus affirmare, quod, qui non vult alterius potius quam suo regi consilio, se sui magistrum facit, seque discipulum stulti constituit: & omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat.*

Egregie verò sanctus Gregorius ad illa *Job 30. verba Job, versa est in luctu cythara mea: duo 20. Mor.* hæc simul jungens, docet in abstinentia seu qualibet alia mortificatione corporis, moderationem esse adhibendam, & non à se sed ab aliis esse petendam. *Pensandum est, inquit, quod chordam cytharæ, si minus tenditur, non sonat: si amplius, raucum sonat; quia nimium virtus abstinentiæ, aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet: aut velle inordinata est, si corpus atterit plus quam valet. Per abstinentiam quippe, carnis vitia sicut extinguenda, non caro: & tanto quisque sibi met debet moderamine præesse, ut ad culpam caro non superbiat. Et tamen*

ad affectum rectitudinis in operatione subsistat. Intueri inter hæc, egregium prædicatorem libet, quanta arte magisterii, fidelium animas velut in cythara chordas tensas, alias amplius tendendo extenuat, atque alias à tensione sua relaxando conservat. Aliis etenim dicit, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus

Rom. 13. & impudicitis: Et rursus ait, mortificate Coloss. 3. membra vestra, quæ sunt super terram. Et 1. Tim. 5. tamen Prædicatori carissimo scribit dicens: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Illas ergo chordas attenuando tendit, ne non tensa omni modo non sonent, hanc vero à tensione temperat, ne dum plus tenditur, minus sonet.

In quibus sancti Papæ verbis non modò vides, quod vera mortificatio temperata esse debet, sed quod præcipuè videndum est, id apertè patet, quòd sit nostra potius ab alio temperanda quàm à nobis, cum ipse sanctus Timotheus quantumcunque sanctus & peritus, accipere debuerit ab Apostolo, sui

regulam victus & temperantiæ normam. Tu vciò, tu à te solo præsumeres audiendam tuæ temperaturam vitæ! Tu quis es? nunquid Timotheo sanctior aut sapientior? Audi rursus Scripturas: Audiens sapiens sapi- entior erit, & intelligens gubernacula possidebit, id est, sic intelliget quomodo se tutò & securè possit gubernare, ut vix alioquin id ex se intelligat: Unde & ibidem paulò post: Ne imitaris prudentia tua, ne sis sapiens apud te- metipsum. Et iterum, vidisti hominem sa- pientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens, qui se videlicet novit, & se ab alio regendum sinit. Tunc enim insipiens, qui sapienter ab alio regitur, sapientior est sapiente, qui se insipienter regit.

Vide in 1. parte hebdomadam tertiam post Epiphaniam, & præcipuè Feriam 4. & 5. Ubi hæc declaratur Veritas.

Grande malum propria voluntas, quæ se in bono bene faciendo non sinit dirigi.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, Dixerunt ad Iesum fratres eius transi hinc, & vade in Iudæam, &c. Ioan. 7.

VERITAS PRACTICA-

Quæ est regula Temperantiæ in edendo, eadem est in loquendo.

Humana consilia eò sæpè pejora quò meliora.

Vel sic.

In 3. parte, Feria 5. hebdomada 14.

Eadem est oris Temperantia in loquendo, quæ est in edendo.

DIXIT eis Iesus: Tempus meum nondum advenit.

In 3. parte, Feria 6. hebdomada 7.

Sic est omni negotio tempus & opportunitas, ut nisi adsit tempus & opportunitas, vix ullum fiat negotium.

AD SUMENDA, EX ÆQUO, DEXTRA VEL SINISTRA DE NOBIS DICTA.

In 4. parte, Feria 4. hebdomada 18. ubi hoc enarratur Evangelium.

Humana de nobis iudicia sic sunt humanè audienda, ut non humanitùs audiantur.

Et murmur multum erat de eo in turba.

Id est, non secundum humanum sensum, quo in dexteris nimis exultamus, & in sinistris nimis abicimur.

CONTRA LINGUÆ INTEMPERANTIAM.

In 4. parte, Feria 2. hebdomada 15.

X 2

Et

Et cum alii de Christo dicerent, quia bonus est, alii non, prout unusquisque sibi de illo fingebat; facis opportuna videtur etiam, quæ ibidem sequitur Veritas:

Nisi se quisquis Christo conformet,

Christum sibi conformabit.

Id est, sic de Christo iudicabit; quoad mores præcipud, secundum suum sensum, & non secundum rei veritatem. Quod est valde damnosum.

FERIA QVARTA.

CHRISTVS AD SE SEQUENTES

*Et se plangentes conuersus, futuras denuntiat
pœnas non pœnitentibus.*

Filia Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.

Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Luc. 23;

VERITATES PRACTICÆ.

CruX interdum quidem à corpore, sed nunquam ab animo deponenda.

SENSUS est de Cruce pœnitentiæ, sicut enim lignum aridum est omnis impœnitens; sic fructuosum lignum sunt verè pœnitentes. Est autem CruX pœnitentiæ seu pœnitentiæ duplex, una interior, exterior altera. Illa est dolor animi de peccato, ista est dolor corporis propterea castigandi. Quando itaque dicitur Cruce interdum posse deponi à corpore sed non ab animo, perinde est ac si dicas, dolorem corporis posse intermitteri, sed non dolorem animi.

RATIO est manifesta, quia semper displicere debet peccatum commissum.

Sed si dolor animi desineret aut intermitteretur, tum etiam desineret displicere peccatum.

Ergo nunquam intermittendus ille dolor, nec ab animo CruX deponenda, sicut nec ipse Christus unquam deposuit.

I. PUNCTUM.

Sequēbatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum; Conuersus autem ad illas Iesus dixit: *Filia Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros, quoniam*

ecce venient dies, in quibus dicent, Beata steriles & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lacta verunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos: & collibus, operite nos: Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Ex his verbis elici possunt tres affectus; primus, Compassionis in Christum, ad imitationem illius turbæ & mulierum, quæ plangebant eum. Secundus, admirandæ & imitandæ pietatis ipsius Christi Domini, qui magis deplorat & deplorandam suadet futuram illorum miseriam, quam suam propriam. Tertius, peramandæ & nunquam deponendæ Crucis nisi amore ipsius Crucis, ad exemplum Christi, qui non alio animo à Cruce ferenda destitit, quam ut in ea gravius pateretur & moretur. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? O nunquam satis ponderata verba! Si Christus innocens ita passus est propter te, quid te convenit non modò propter illum sed propter te ipsum pati? Quod si verò hic pati recusas, quas non debes expectare pœnas post mortem, tu qui nihil aliud es quam lignum aridum, cuius consummissio in combustionem?*

Quamobrem seridè de amandâ & colenda Cruce seu mortificatione continua cogitandum: quæ si tamen interdum quoad corpus remittitur, nunquam verò est animo deponenda, nunquam deponendus affectus sui corporis mortificandi, nunquam deponendum studium sui animi reprimendi, nunquam de-

nique.

ni que dolor ille deponendus, qui semel conceptus est de peccato quondam admissio. Quo in triplici sensu proposita Veritas expeditur potest, sed in postremo præcipue de Cruce ac dolore interiori vite præteritæ, considerabitur. *Peccatum meum contra me est semper*, inquit penitens, id est coram me, in mente mea, ut semper meminerim me peccasse, in corde meo, ut semper oderim & detester quod peccavi, in sensu meo, ut semper illud defleam, & amplius ab illo laver.

Ps. 50.

Eccl. 17.

Mid. 5.

v. 6.

Nam præter innumeras, quæ inde proveniunt utilitates, certè illud certum & omnino necessarium, ut nunquam placeat, imò ut semper displiceat quid quid peccatum est. *Revertere ad Dominum*, inquit Scriptura, & *averte te ab injustitia tua*, & *nimis odio execrationem*. Quid est nimis odisse execrationem, nisi tam continuo & indefinente odio peccatum prosequi, ut pene nimium videatur? Cur verò peccatum dicitur execratio, nisi quod semper sit ira execrandum, ut non secus ipsa execratio semper displiceat; Quod denique additur, *Cognosce justitias & judicia Dei*, quid est aliud, quam indicare motivum potentissimum ad hoc perpetuandum execrationis præteritæ odium, nempe quod sic Deus illam semper execretur, sic execrandam jubet, & adeo tremenda sunt divina illius judicia, ut de peccato dimisso non sit etiã tremor deponendus. Sic idem aperte Sapiens; *Ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor*. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adicias peccatum super peccatum. Et ne dicas, *miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserabitur: Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius*.

II. PUNCTUM.

SED Cruce interior, seu animi dolor de peccato, si deponeretur aut intermitteretur, verendum esset, ne & ipsum peccatum displicere desineret.

Intermitti quidem potest dolor sensibilis, sed non ille qui dicitur appetitativus, & qui verus & proprius est dolor de peccato super omnia deploranda. Dicitur verò non intermitteri, cum penitentis animus ita est affectus & dispositus, ut, quoties excitatur peccati memoria, dolor renovetur: atque etiã ut crebro dolor ille renovetur, sepe sepius peccati

memoria excitetur. *Memoria memor ero, & ta-Thren. 3. bejcit in me anima mea.*

Hoc autem est omnino necessarium, ne peccatum placere incipiat, aut displicere desinat. Nam cum sit tam naturale & proclive homini, amore & complacentia ferri in objecta, quibus peccatum admissum inhærebat, ut nisi diligenter cum divina gratia prospiciatur, illuc rapiaris, & tibi placeat quod placere non potest sine peccato: certè non potest aliter diligētius nec tutius prospici quam per illum dolorem continuum, qui directè opponitur tali complacentiæ, & voluntatem contra obfirmat. *Ego tanquam surdus non au-diebam, & sicut mutus non aperiens os suum: quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper: quoniam iniquitatem meam annuntiabo & cogitabo pro peccato meo*. Quasi diceret, hoc est, quod me insensibilem reddit ad omnia quæ me provocant ad peccandum, quod videlicet tum meminerim olim me peccasse, & ita doleam de peccato, ut peccare displiceat.

Sic sanctus Augustinus jam conversus, cum à sodalibus ad aliquid liberius actitandum forte moveretur, *Nolite*, inquit, *obsecro L. 1. de vos geminare mihi miseras: satis mihi sunt vulnera mea, nolite obsecro*. Et post nonnulla: *Hic ubi plura ne dicerem, lachryma mihi modum imposuerunt*. Videtne quàm sit opportunus & necessarius ille dolor continuus, quem tanti Viri renovant, quoties periculum instat, ne in delictis veteribus sibi complacent? *Hoc est Is. 30. frenum in maxillis ponendum*, de quo passim *Ex. 29. Scripturæ*, quoposito sicut facile retardamur à complacentia in peccatum: sic illo remoto facillimè in eandem provocamur & ruimus. *Omnes conversi sunt ad cursum suum*, inquit *Ier. 8. Jeremias*, quasi equus imperu vadens ad prahum; Quia scilicet, ut ante dixerat, non dolent de peccato, aut dolorem semel conceptum non continuant.

III. PUNCTUM.

ET si ergo à corpore Cruce interdum deponi possit, nunquam tamen ab animo. Ne si animus dolere desinat de peccato, peccatum displicere desinat. Quod certè nefas est & omni modo cavendum. *Fili, peccasti: non adicias iterum, sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. Quasi romph a bis acuta omnis iniquitas, plaga illius*

illius non est sanitas: Id est, non potest ita sanari, quin semper sanari possit perfectius, dolendo & gemendo propterea non tam timore pœnæ quam amore Dei, sicut de se ait sanctus Augustinus, *Amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis mee, ut dulcescat mihi dulcedo non fallax, dulcedo foelix & secura.*

Atque ut id ipsum unusquisque constanter observet, sic idem alibi: *Nunquam credat sufficere, semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat: dolorem cum vita finiat: ubi dolor finitur, deficit pœnitentia: ubi deficit pœnitentia,*

L. de vera
& falsa
pœnit. c.
13.

& ibi veria. Vade & jam noli peccare: hoc est pœnitere: Hinc ergo semper doleat, & de dolore gaudeat, & non semper doluisse doleat. O quale gaudium sic semper posse dolere; sic verè posse dicere cum Psalmista, Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Fœlices gemitus, in quibus anni deficiunt: fœlices anni qui non nisi deficiunt in dolore & in gemitibus.

Vide in 1. parte, Feria 3. hebdomada 4. post Epiphaniam, de rationabili sollicitudine pro peccatis remissis.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus, loquor vobis & non creditis. Ioan. 10.*

Qui cum affectu in composito Deum consultit, non Deum, sed Deo consultit.

Quasi vellet Deum sibi solum placentia respondere. In hac 2. parte, Feria 4. Pentecostes.

VOS non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Quæ causa est, cur pauci salvi sint, hæc in te causa est, cur ex illis forte non sis.

In hac 2. parte, Dominica Septuag. Vide & in 3. die 25. Iuni.

OVES mea vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me.

Sicut discursum mentis statim sequi debet

affectus, ita & affectum effectus.

In 1. parte, die 29. Decembris.

Tantum abest, quod, qui sunt verè liberi, non se subjiciant: ut non sint aliter verè liberi, nisi se subjiciant.

In 4. parte, Sabbato hebdomada 15.

Sicut Imaginem aut faciem Christi, sic ejus vocem fidelis anima reveretur.

In 4. parte, Sabbato hebdomada 21. qua penè tota est de hac similitudine pastoris & ovium, ex eisdem Christi verbis.

FERIA QVINTA. QVATVOR DIMENSIONES CHRISTI Crucis & nostræ.

Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvaria locus. Matth. 27.

Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, qua sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. Ephes. 3.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Qui à Cruce, suas tollit Dimensiones, tollit à se suam Crucem.

RATIO EST, Quia qui tollit à se Crucem, qua post Christum cuique ferenda est, tollit à se suam Crucem.

Sed qui à Cruce, suas tollit dimensiones, tollit à se Crucem, qua post Christum ferenda est.

Mat. 10.

Ergo tollit à se suam Crucem; Ac proinde illi maledictio subjicitur, quod intendant Christus Dominus dicens? Qui non accipit Crucem suam & sequitur me, non est me dignus.

I. PUNCTUM.

Luc. 13.

Mat. 11.

Confesso monte Calvariae, Crux in terram demittitur, locus eminentior montis deligitur ubi illa insigatur; Clavi, funes, malleus, caeteraque instrumenta supplicii educuntur; Quid verò interim bonus Iesus? Stabat videlicet cum illis duobus nequam, qui simul ducti sunt ut interficerentur, stabat ligatus velut illi, apparebat nequā & Reus velut illi, parabatur Cruci affigendus ut illi: sed tamē quā longē ab illis alius esset, tu tecum ipse recogita. Credibile autem est & cogitatu piissimum, oculos tunc in Crucem humi jacentem habuisse defixos, atque illi tūm, quod postea discipulus Andreas, animo etiā latiori dixisse, *o bona Crux diu desiderata, & jam concupiscenti animo preparata, securus & gaudens ad te venio;* Tum considerando singulas eius dimensiones sic à Patre dispositas, *Etiā pater! quia sic placitum fuit ante te;* Illam accepto sua in latitudine paratus pati quaecunque volueris; Illam amplector sua in longitudine, tam diu passurus quā permiseris; Illam suscipio, sua in sublimitate & profunditate, tam excelso & humili animo toleraturus omnia, quā cognosco te velle à filio, & quā filius tibi potest exhibere!

Luc. 9.

Haec sunt quatuor Crucis Christi dimensiones, de quibus Apostolus, & in his resurgere dicitur Crucis mysterium, quia sic nostra Crux suas etiā debet habere dimensiones; aut non erit illa Crux, quā jubemur quotidie ferre post Christum, & in qua cum ipso affigendi sumus. *Qua merito ferri unicuique*

suadetur, ait S. Leo, quia propriis modis atque Serm. 9^o mensuris ab unoquoque toleratur. Hinc orta de Quadr.

Veritas, Quod qui à Cruce, suas tollit dimensiones, tollit à se suam Crucem. Quia videlicet tollit illam Crucem, quae est ferenda post Christum, & quam qui non accipit, non est Christo dignus, non potest dici Christum sequi neque Eius esse. Non enim omnes qui ferunt Crucem, Crucem ferunt post Christum, nec sequuntur illum. Sunt multae Cruces inutiles, imò etiam sunt malae Cruces & perverae, quas quicumque portant, tam longè distant à Christo, quā à bonitate malitia, & à rectitudine perveritas.

Cruces inutiles sunt labor ille inutilis & cassa sollicitudo mentis, quā laborat homo sub sole & quam ita deplorat Sapiens, ut penè totus sit Ecclesiastes in ea deploranda.

Eccle. 7.

Malae autem & perverae, sunt illae viae difficiles quas impii ambulaverunt, & est via iniquitatis in qua lassati sunt, ut ipsi clamant in inferno. Quantumcunque enim vitium placeat, suas tamen habet molestias, & ipsa est *Lib. 3. de*

Sap. 5.

Lib. 3. de

Confid.

c. 1.

ambitio Crux ambientium, ut ait sanctus Bernardus. Quis autem sanus putet ambitiosum ferre suam Crucem post Christum Dominum? Cur ita porro, nisi quia non est illa Crux, quā post se ferendam iussit Christus: non est illa Crux quae sequimur Christum, non est illa Crux quae nos Christi similes facit. Ac proinde sicut ille solus verè dici potest ferre suam Crucem, qui fert illam Crucem quā Christus ferendam voluit; sic planè, hanc qui non tollit, non tollit suam Crucem, seu quod idem est, tollit à se suam Crucem, non vult pati quantum necesse est ad salutem aut ad certum perfectionis gradum quo à Christo vocatur, licet alia quaedam patiatur. Non poena, sed causa, & modus patiendi S. August.

S. August.

martyrem facit.

II. PUNCTUM.

SED qui à Cruce, suas tollit dimensiones, tollit à se Crucem, qua post Christum ferenda est.

Tollit nempe similitudinem suae Crucis cum Cruce Christi. Quae ut manifestius pateant, expendenda sunt accuratius illae Crucis mysticae dimensiones, & tibi applicandae.

Latitudo Crucis est, quidquid ex divina ordinatione patiendum est; O quae & quanta Christus in toto Corpore, in bonis, in honore, & uni-

& uni-

& universim in omnibus! Itane verò tu omnia? Si quid desit quod non patiaris, tantum de latitudine tuæ Crucis deest & tantum de ejus similitudine.

Longitudo Crucis est, tam diu constanter pati omnia, quam durat occasio patiendi; sic Christus in Cruce per tres horas, sic ab orto ad Crucem: Imò sic à primo vitæ ortu usque ad mortem semper constantissime passus. Tu verò quàm facile resilis, quàm parum duras patiendo, sicque non impleas mensuram longitudinis! Nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam deest observantia pietatis, Totius est temporis Crucem ferre, ait S. Leo.

Sublimitas & profundum Crucis est Charitas & Humilitas simul juncta in animo patientis; Sic Christus ex ipsa Charitate, qua diligebat Patrem, diligebat Crucem, & in hac sublimi dilectione patiebatur. Tam profunda verò ejus humilitas, ut exinanitio jure dicatur, quo verbo nihil aptius est ad rem exprimendam.

Adverte autem has duas Virtutes sic mutuo à se pendere, ut quò sublimior erit Charitas, eò sit profundior humilitas; & quo profundior humilitas, eo etiam crescere & apparere sublimiorem Charitatem; Unde tu, qui humilitate præsertim desicis, & nunquam te satis dignum tuis te pœnis judicas, quando aliunde quàm à te proveniunt, timere certè debes, ne debita etiam Charitate desis; Nam si, ut debes & ut potes cum Gratia, Deum diligeres, sic Eum doleres à te aliquando fuisse offensum, ut nunquam satis humiliari & pati posse crederes ad aliquam Divinæ Justitiæ satisfactionem exhibendam: diceresque quod est in libro Iob, peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.

Ex quibus tandem patet, quod, qui à Cruce suas tollit dimensiones, tollit à se Crucem, quæ post Christum est ferenda, quia nō Eum

imitatur, neque sicut ille passus est patitur; quia non quantum, nec ex quanto vult Deus, aut quam diu illi ordinatur; quod est manifestè deficere ab Imitatione & exemplo Christi, qui omnia plenissimè contumnavit. *Mul- Phil. 3.*
ti ambulavit, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & stans dico, inimicos Crucis Christi.

III. PUNCTUM.

Harum ergo defectu dimensionum cum sua Crux unicuique deficiat, quid sequitur, nisi *Qui à Cruce suas illas tollit dimensiones, tollit à se Crucem suam; tollit à se decus suum, tollit à se salutis suæ tesseram, tollit à se omne bonum: nam in Cruce totum constat, & in moriendo totum jacet.* Vide illud Divinum caput libri primi de regia via sanctæ Crucis. Et licet nullus Sanctorum tam perfectè passus sit sicut Christus, satis tamen perfectè passi sunt, si suæ Crucis dimensiones cumulatè compleverint; Satis autem cumulatè compleverunt, si omnia sibi patienda, licet non quanta Christus, tolerarint, si tam diu sustinuerint, quàm sustinendum illis fuit, licet non tam diuturno tempore quàm ipsi Christo patiendum fuit; si denique ex toto corde suo, licet cor eorum non fuerit tam sublime aut humile quàm Cor Christi. Sic Apostolus mensuram suæ Crucis implevit, cum illa passus est quæ Corinthiis commemorat: *Secundum mensuram, inquit, qua mensus est nobis Deus, sic nos vellet Imitatores sui esse, sicut ille est Christi.* Alioquin cave istud, *Tanta passus estis Gal. 3. sine causa.* Itemque illud longè gravius, *Scio Apost. 3. opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es, Esto vigilans & confirma cetera qua moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habet qualiter acceperis & audieris, & serva, & pœnitentiæ age.*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de muliere peccatrice, seu Magdalena pœnitente. Luc. 7.

DE hac tam multæ suo loco producantur Veritates Practicæ, ut sit longius hic eas referre.

In 3. parte, Feria 4. hebdomada 7. & die 22. Julii.

Adjungi verò possunt nonnullæ aliæ, quæ ad pœnitentiæ & Conversionem spectant.

Licet omni peccatori sit necessariò pœnitentiæ,

Hum, vix tamen ullus est, qui necessariam agat pœnitentiam.

In 1. parte, Dominica 4. Adventus.

Frustra te Christi miseret, nisi te tui prius miseret.

In hac 2. parte, Feria 4. hebdomada 1. Quadragesima,

Revocanti hominem Deo ab errore viæ suæ, non obtequi pejus est, quam primò vocantem nec irasci, non sequi.

In eadem 2. parte, in fine, ubi de stantibus.

Fortioris est animi non vinci à bonis blandimentibus, quam ipsa vincere mala terreatia.

In eadem 2. parte, Dio 25. Aprilis.

Nisi Christo resisteres, sic te Christus in se, sicut panem consecratum, converteret.

In 3. parte, Sabbato hebdomada 1.

Qui sibi palpat quod non longè erret, periculosius sæpe errat, quam qui aberrat longius.

In 3. parte, Dominica 3.

Hanc ad cæteras impudentiam impudicus adjicit, ut Deum orando irideat.

In 3. parte, Sabbato hebdomada 6. Videri potest in 1. parte, Feria 6. hebdomada 4. in Adventu.

Sicut à peccato, sic à peccati reliquiis, resurgendum.

In 4. parte, Dominica 15.

Nisi ab omni cupiditate voluntas, sicut ab omni errore intellectus verè convertatur, vix ulla est vera conversio.

In 4. parte, Feria 2. hebdomada 16.

FERIA SEXTA. CHRISTVS CRVCI AFFIGITVR.

Ibi Crucifixerunt eum. Luc. 23.

Hoc scientes, quia vetus homo noster simul Crucifixus est. Rom. 6.

VERITAS PRACTICA.

Quod petenti Christo juxta Crucem non negasses; hoc à te semper petit, hoc illi semper debes, hoc illi nunquam negandum.

SENSVS est præsertim de veteri homine simul crucifigendo, quod præsertim petisset Christus, & quod ibi præsens non negasses unde concluditur nunquam ad illi negandum, & ad singulos veteris hominis actus reprimendos, tantum valere Christi considerationem, quantum valuisset illa ipsa hora, quâ vidisses eum Cruci affixum.

RATIO est, quia idcirco, non negasses, quod Christus petisset quia revera sic merebatur, & sic debebas non negare quod petebat.

Sed Christus hoc idem semper petit, hoc idem semper meretur, hoc illi semper debes.

Haynesve Pars 2.

Ergo & semper debes non negare, seu quod idem est, ergo id nunquam est negandum; quod cerè potens est & efficax cum Divina Gratia ad continuam mortificationem exercendam.

I. PUNCTUM.

IBI Crucifixerunt eum, ait, S. Evangelista, quo uno dicto omnia comprehenduntur, quæ spectant ad hanc stupendam Crucifixionem. Expende singula cum affectu. Vide ut denudent Sacrum Christi Corpus, ut proiciunt in supinam Crucem, ut extendunt eius membra in illum doloris lectum, ut manus & pedes summa vi protrahunt, donec attingant locum destinatum ubi affigantur. Audi malleorum ictus in clavos: Cerne clavorum violentiam in nervos, nervorum scissuras ac venarum in manibus pedibusque, unde quatuor illa sanguinis flumina quæ totam irrigant terram. Attende & vide quæ est dolor sicut iste dolor.

Y

f. 49.

dolor. Quid tum bone Jezu! quid sentiebas? quid cogitabas? Fili, sic de te uno cogitabam: quasi unus fuisses pro quo sic paterer; & hoc precipue cogitabam, ut me totum tibi traderem, quo amorem tuum mereri possem. Inscribebam te manibus meis per hos clavos qui tum insigebantur Cruci, & per sanguinem qui inde profluebat, ut verum fieret quod dixit Propheta, *Non obliviscar tui; In manibus meis descripsi te. Veni sequere me, Inspice exemplar quod tibi monstro, sic veterem hominem crucifige.*

Ad hoc anime quid respondes? non est dubium, quod si tum praelens ad fuisses & hæc audivisses, nullum est mortificationis genus aut actus particularis, quin libentissime subivisses, si se eius occaso obrulisses: nonne est ita? Responde. At quæso memineris, quando & quoties veteris hominis reprimendi seu naturalis appetitus coercendi occasio sese dabit. Scito te æque obligatum modò & semper id reddere Christo, ac tum credidisses illi non negandum. Perinde modò debet valere eius Exemplum & Consideratio, atque tum valuisse, si vidisses eum pendentem, & audisses à te postulantem talem mortificationis actum qui modò occurrit exercendus.

Quid est enim, cur illo tempore non illi denegasses, nisi quia judicasses id illum à te promereri quod postulat: id ita vel ab invito extorquere Crucem & tot cruciatus, quos tui gratia libenter suffert, ut si denegares, impietatis & crudelitatis notam non effugerès: nonne hæc una fuisset Ratio? Nam licet præsentia objecti multum potuisset ad commovendum sensum & animum, tamen negare non potes, quin Ratio id persuasisset. Fatere ex animo, & id effice quod S. Joannes Evangelista, *In conspectu eius suadebimus corda nostra.*

s. Ioh. 3.

II. P U N C T U M.

SED Christus hoc idem semper petit: hoc idem semper meretur; hoc illi semper debes. Hoc est enim quod ait Apostolus, *hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est: Et destruat ut corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato:* Et alibi, *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis Rursusque de seipso, Christo confixus sum Cruci: Quorum omnium verborum duplex est sen-*

Gal. 5.

Ibid. 2.

sus, primus, quod sicut Christus corpus suum dedit affigendum Cruci, ita nos carnem sive eius appetitum inordinatum, qui dicitur vetus homo, tradamus spiritui Gratia, ita continentum, ut non magis se movere possit secundum suos motus naturales perverfos, quam corpus Cruci affixum. Hoc est facere secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, quando scilicet quod factum est in carne Christi, hoc in carnali appetitu fieri. Hic est primus sensus.

Secundus verò est, quod, quia Christus sic fecit, ideo nos idem etiam præstare oportet, id omnino meretur cum precipue idcirco sic voluerit crucifigi, ut disceremus sic crucifigendam & continentam carnem, sive id timore culpæ & pœnæ, ut dicebat David: *Con-* Ps. 118. *fige timore tuo carnes meas, si veid solo amore,* Gal. 2. *ut Apostolus, Christo confixus sum Cruci, vivit ego iam non ego, vivit vero in me Christus.*

AT quæso te, quandònam id Christi à nobis fieri postulat & quandònam meretur ut, quod postulat, exequamur? An pro eo tantum tempore quo patiebatur, aut quo vidisses illum, dum pateretur? Nonne id ridiculum cogitatu, & impium dictu? nonne id modò & semper id postulat, id meretur, & id debemus, cum adest occasio carnis reprimendæ? Nonne ad has occasiones confertur nobis gratia quam patientiò promeruit, si sicut de præsentia ne illud incurramus, quod severè & graviter ait Apostolus, *qui Filium Dei concul-* Hebr. 2. *caverit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratia contrariam fecerit:* Hic est videlicet conculcare filium Dei ac eius sanguinem, cum eius præsentem Gratias, quæ non minoris valent quam eius sanguis, reicimus: ne carnem affligamus, ac vel eius appetitui resistamus! ò probum, ò dignominiam, *Quæ utilitas in sanguine meo?* Quæ utilitas in exemplo meo?

Gal. 2.

Hebr. 2.

Ps. 29.

III. P U N C T U M.

QUOD ergo petenti Christo iuxta Crucem non negasses, hoc illi semper debes, hoc illi nunquam negandum est: Quia id semper meretur sicut tum merebatur: unde ad singulos veteris hominis actus reprimendos ita semper valere debet Exemplum Christi crucifixi, sicut: si modò Cruci affigeretur, ac si præstans adfectus huic spectaculo. *IESVS CHRISTVS heri* Hebr. 13. *& hodie:*

hodie: Ipse & in sacula. Nam cum certum sit te tūc illi non negaturum fuisse hunc mortificationis actum qui occurrit, quia iudicasset illum mereri; profecto neque etiam modò, neque quocumque petat tempore, negare unquam debes, quia sic iudicare, sic credere, & sentire debes illum tam iniuste modò mereri quam quando passus est. Aut enim tūc nihil meritus est quod faceres, aut illud meruit quod modò faciendum est. Expende hoc: quid enim meruit ut faceres, nisi quod potes & debes facere? at quid est illud nisi quod occurrit faciendum? Hoc est scilicet, quod ex Cruce vidit, hoc est cui præstando Gratiā destinavit, & salutem affixit: sicut enim te non vidit nisi in ea differentia temporis, qua modò vivis, sic neque actum mortificationis, quem redderes, nisi quo tempore esset reddendus. Quamobrem si hunc negas, negas quod debes, aut negas te illi hoc debere, quæ est horrenda blasphemia, & quæ te aliquando eò deducet, ut neges te quidquam illi debere, aut fatearis te nolle quidquam

reddere. Nam si non reddis, quod petit, quid reddes? Quidquid sit aliud, quod non petit, recusabit, & nihil reddes. *Munus non suscipiam de manu vestra.*

Et si verò alia tibi videantur præstanda, nihil est magis necessarium nihilque certius quod à te exigatur, quàm ille mortificationis actus, qui ad evitandam cordis inordinationem adhibendus est: sicut enim hanc inordinationem numquam potest probare Christus, ita non potest non petere, quod à te necesse est ut cum Gratia coerceatur. *Nemini Ecclesi. 15. mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Non ita de positivis aliis operibus certus esse potes; & verè illud mortificationi continuè applicari potest, quod de præputiis Philistinorum dicebat Davidi Saul: *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis.* Te sponsabat in Cruce Christus, & hæc a te, quæ dicta sunt, sponsalia postulabat, quæ si negas, vide Cui neges.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Iudeorum Concilio contra Dominum. Ioan. 11.

Quid nequius, quam quod excogitavit caro & sanguis: *Ecclesi. 17.*

Nempe de Iesu perdendo, ut supra explicatur in hac 2. parte, Feria 2. hebdomada infra Septuagesimam.

EXPEDIT vobis ut unus moriatur homo pro populo.

Non minus expedit ad salutem, ut verus homo moriatur in nobis, quàm ut novus homo moreretur pro nobis.

In 4. parte, Feria 5. hebdomada 25.

Sicut à veteri lege, sic à veteri homi-

ne, unicuique Christiano est abstine-

dum. *In 1. parte, Sabbato hebdomada 5. post Epiphaniam. Vide & Dominicam infra Octavam Nativitatis Domini: & diem Circumcisionis.*

Mortificatione potius tibi sunt omnia subtrahenda, quàm quid mortificationi detrahendum.

In 3. parte. 24. Augusti.

Quæ hac denique & sequenti die proponuntur Veritates, satis patet, quàm sint conformes superioribus, necnon quæ in parasceve seu Feria 6, hebdomadæ sanctæ.

SAB-

S A B B A T O

CHRISTUS IN CRUCE ILLUSUS.

Tunc Crucifixi sunt cum eo, duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris; prætereuntes autem blasphemabant eum. Matth. 27.

Rursum Crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, & ostentui habentes, Hebr. 6.

VERITAS PRACTICA.

Quod novo negatur Homini contra veterem; hoc veteri indulgetur contra novum.

RATIO EST, Quia quod novo negatur homini contra veterem, est aliquod mortificationis exercitium.

Atqui hoc negatum mortificationis exercitium, hoc ipsum est, quod contra novum hominem veteri indulgetur.

Ergo quod novo negatur homini contra veterem, hoc veteri indulgetur contra novum. Quod certe ignominiosissimum est Christo Domino, qui rursus crucifigitur & illudatur in cordibus nostris, nisi vetus ipse homo sit in nobis plene crucifixus. Alteruter necessario crucifigendus.

I. PUNCTUM.

Christo Cruci affixo, Crux erecta fuit in eminenti loco, ut spectaretur ab omnibus, & qui in ea pendebar, spectaculum fieret ac portentum ludibriis omnium & opprobriis expositum, sicut prædixit

Pf. 21. & locuti sunt labiis & moverunt caput, & sicut referunt Evangelistæ; Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua & dicentes: vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reedificas, salva te metipsum: si filius Dei es, descende de Cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus, dicebant, Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, & credemus ei: confidit in Deo, liberet nunc eum si vult, dixit enim, quia filius Dei sum. IDIPSUM autem & latrones, qui crucifixi

Luc. 23: erant cum eo, improperabant & conviciabantur.

Marci 15. sum. IDIPSUM autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant & conviciabantur.

ei: **ILLVDEBANT** autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes; Si tu es Rex Iudaorum, salva te fac.

Hæc proflus stupenda omnia & cum affectu revolenda, sed quod etiam nunc sic illudatur Christus in cordibus nostris, nisi vetus homo sit plane crucifixus, non minus accurate perpendendum. Hoc autem redditur manifestum discursu tam aperto, ut vix uno aut altero sit opus verbo ad ampliores eius declarationem: sicque fiet, ut, dum brevior erit propositæ Veritatis expositio, gravissimum illud probrum de illuso in cordibus nostris Christo, quod inde sequitur, attentius consideretur. Sic ergo habet: Quod novo negatur homini contra veterem, hoc veteri indulgetur contra novum. Quid est enim contra veterem hominem nisi quod illi displicet & repugnat? quid est autem, quod illi displicet, nisi quod vocamus mortificationis exercitium? si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum: si pes, si manus; abscinde, amputa.

Hoc est, quod novus homo petit contra veterem, hoc est quod illi negatur, cum scandalum pedis vel oculi non auferitur. Ah quoties id petitum! ah quoties id negatum! quoties voluit & noluit!

II. PUNCTUM.

At qui hoc ipsum est, quod contra novum hominem veteri indulgetur. Hoc ipsum, scilicet, quod oculus scandalizans non eruitur, quod pes offensionis non abscinditur, quod imperatus denique mortificationis actus non exercetur; hinc solum est, quod se contra opponit homo vetus, contrarium appetit, oppositum postulat, & hoc illi indulgetur, Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. Voluptatum amatores magis quam Dei.

III. PUNCTUM.

III. PUNCTUM.

Item. 32.
in Evang.

Quod novo igitur negatur homini contra veterem, hoc veteri indulgetur contra novum. NOVVS homo, inquit S. Gregorius, vita nostra veteri in vitis nutrita contrarietatem opposuit novitati sua. Quid enim vetus, quid carnalis homo non verat nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupiscere si non posset sed caelestis Medicus singulis quibusque vitis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicina calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis praeceperet humilitatem.

Matth. 6.

At verò contra semper vetus reluctatur: sit pugna de nobis in nobis inter utrumque hominem, uter alteri cedat aut imperet. Alterutri profusus obsequendum. Illi sunt duo Domini, quibus nemo servire potest, Aut enim unum, odio habebit, & alterum diligit: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Sicut itaque quando mortificatione constringitur vetus homo, is dicitur crucifigi, quia sic comprimuntur ejus actus, ut nihil agat, perinde ac Crucifixus: sic planè nisi sic constingatur & crucifigatur, quid sequitur nisi oppositum? quid sequitur nisi quod novus ipse homo cum actibus suis comprimatur, compressus nihil agat, nihil agens sit veluti Cruci affixus? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me: me vos configitis gens tota, dicit Dominus per Prophetam.

Mal. 3.

Ephes. 4.
Coloss. 3.

Atque hoc ipsum est, quod alia similitudine dicitur exspoliari veterem hominem & indui novum: Unde quemadmodum hoc ipso quòd unus exspoliatur, alter induitur: ita profusus si unus laxetur & liber agat in nobis, alter crucifigatur necesse est.

Iam verò quàm sit grave & injuriosum Christo Domino sic in te constringi & crucifigi, ut nihil spirituale agat, cogaturque per tuam libertatem, cui sese accommodat, cedere æmulo, atque illum intueri dominantem tui, dominantem animo & corpori tuo, tuos moventem affectus, excitantem actus, & omnia sensuales vitæ opera tecum operantem, poterisne id cogitare & pati? Nonne tu ipse es, qui quotidiana precatione sic illum advocas; Dirigere & sanctificare, regere & gubernare, dignare Domine Deus Rex caeli & terra, hodie corda & corpora nostra, sensus, sermones & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum. Dum verò præsens adest te directurus, dum tibi dicit, Ecce adsum quoniam invocasti me, veni, sequere me; Tu contra quasi diceres, quis es tu ut lequar te! Sequar cogitationes cordis mei, & ibo in adventionibus meis, Quid est irridere, quid est illudere nisi hoc sit? Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me.

Is. 58.

Ier. 20.

Itane semper illudes & non illuderis? Ipse deludet illusores. Si fueris illusor, solus portabis malum. Attende diligentius & cum D. Bernardo sic exardesce in teipsum: Exurgat Deus & cadat armatus iste, cadat & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, cultor sui, amator mundi, servus Diaboli. Quid tibi videtur? Si re- In Meditate sentis, mecum dices, reus est mortis, crucifigatur. Noli ergo dissimulare, noli differre, noli parcere: sed festinanter, audacter, instanter crucifige hominem istum, sed cruce Christi, in qua est factima, & vita.

Evangelium Ferie Ioannis 12. solennem ingressum Domini Iesu in Civitatem Ierusalem repræsentat, de quo jam supra, semel & iterum; cras verò plenius & opportunius.

HAC SANCTA HEBDOMADA, de septem Verbis Domini in Cruce prolatis agitur, unde discamus perfectam in omni genere Renuntiationem, quæ plurimum facit, ad veram sanctitatem, his præsertim sacris diebus, comparandam.

Y 3

DOMI-